



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 6. Vtrùm in Christo fuerit contrarietas voluntatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

tamen practicè, seu in ordine ad electionem voluntatis, non poterat: quia tunc necessarium erat omnia considerare, quæ prudens electio postulabat.

13
Voluntas
inefficax
non fuit
semper cõ-
formis di-
uina in vo-
lito mate-
riali.

Dico Tertio, Voluntas Christi interdum habuit motus simplices & inefficaces, qui non erant conformes diuinæ voluntati in re volitæ; tamen secundum se semper erant conformes, vel etiam secundum rationem volendi.

Vbi aduerte, In Christi voluntate fuisse interdum motus inefficaces, qui explicantur per *Vellem, nollem*, qui nihil aliud sunt, quàm simplex complacentia aut displicentia: habuitque voluntas hoscet motus non solum vt Natura, id est, vt fertur in naturæ commodum, vel fugit eius incommoda; sed etiam vt Ratio tum superior, tum inferior: Vt, cum volebat latere, & non poterat; cum volebat omnes conuerti, & neminem perire.

Prob. de
motu na-
turali.

Prior Pars de motu naturali, quem habuit voluntas vt natura: Probatur Matthæi 26. v. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hic motu naturali refugit mortem; cum tamen diuina voluntas vellet ipsum suscipere mortem, cui se hic subiicit. Dices; quomodo hic motus erat consentaneus rationi, cum discreparet à voluntate diuinâ? Respondet; Etiam si discreparet in obiecto materiali, tamen ipse motus secundum se erat conformis rationi, ac proinde voluntati diuinæ: quia ratio excitabat & imperabat hunc motum secundum Dei voluntatem; idque partim ad demonstrandam veritatem naturæ humanæ, & passionis acerbissimam; partim ad excitandam in se maiorem tristitiam. Adde; Probabile esse etiam in beatis tales motus voluntatis naturales esse posse; vt, ad Resurrectionem corporum: quod insinuat Apoc. 6. quamquam etiam ij in illis sint liberi quoad exercitium.

Tales mo-
tus sunt
etiam in
Beatis.

Prob. de
motu Ra-
tionali.

Quod autem non solum motus voluntatis naturalis, sed etiam rationalis, poterat dissentire à voluntate diuinâ in voluto materiali, siue esset in ratione superiore siue inferiore: Probatur; Quia id docet D. Tho. in 3. dist. 17. q. 1. art. 2. quæstion. 3. & Gabriel eadem distinctione. Et Scotus dist. 15. Et patet Marci 7. & Matth. 9. vbi Chri-

stus volebat latere, & non poterat: quæ voluntas non erat ex inclinatione ad commodum aliquod naturæ, sed ex aliquâ honestâ ratione: vnde pertinebat ad voluntatem, vt Ratio est. Similiter volebat omnes saluari, neminem perire; quod tamen Deus absolute non volebat. Ratio est; Quia in his actibus exercendis poterat esse aliqua honesta causa pertinens ad rationem superiorem, vt honor Dei, & salus proximi: Vnde illi motus erant ex inclinatione Rationis superioris, & non Naturæ. Nec mirum hoc videri debet, quia etiam in beatis, & in ipso Deo, suo modo tales velleitates & nolletates esse possunt.

Sunt etia
tales vel-
letates in
Beatis.

Ex quibus patet altera Pars; scilicet, hos motus conformes fuisse diuinæ voluntati, siue secundum se, siue in obiecto formali.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit contrarietas Voluntatum?

Respondetur; In Christo absolute non fuit Appetituum contrarietas. Est fide terendum: vt patet ex Epistolâ Agathonis in VI. Synodo act. 4. & act. 17. vbi absolute definitur, quod voluntas humana non reluctabatur diuinæ. Idem definitur in Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 15.

14
Voluntas
humana
Christi
nunquam
reluctante
fuit diui-
na.

Patet ex dictis; Quia voluntas humana Christi absolute, erat conformis diuinæ in voluto materiali, & formali: inefficax autem erat conformis eidem diuinæ voluntati, vel in voluto formali, vel saltem tamquam operatio suæ regulæ; nam Deus volebat Christum pati tales motus: ergo etiam erat conformis voluntati humanæ absolute & efficaci: ergo nulla erat contrarietas, *Volo enim & nolo* sunt contraria; sed hæc in Christo circa idem simul non fuerunt; sed tantum *Volo & nollem*; quæ nihil repugnant. Denique omnes Christi voluntates erant secundum virtutem; vt patet ex supra dictis: ergo nulla inter eas erat contrarietas.

QVÆSTIO XIX.

De Operatione Christi & Merito.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo sit tantum vna Operatio?

1
Monothelitas.

Respondetur; In Christo sunt duæ operationes; altera diuinitatis, altera humanitatis. Est de fide definita in VI. Synodo, act. 2. 4. 8. 13. 17. contra Cyrum, & Theodorum, & alios Monothelitas, qui asserabant tantum vnicam voluntatē & operationem

esse in Christo. Item in Concilio Lateranensi sub Martino I. cap. 10. & sequentibus.

Nota; Hæreticos qui ponebant tantum vnicam voluntatē in Christo, posuisse etiam tantum vnicam operationem, scilicet ex parte vnius principij operantis; vt sicut omnes nostræ actiones sunt humanæ voluntatis, vt pote ab ea elicite vel imperatæ; ita omnes actiones Christi, essent actiones diuinæ voluntatis tantum ab eâ elicite vel imperatæ; quæ diuina voluntas id faceret in Christo, quod voluntas humana facit in nobis. Hæc videtur illorum hæreticorum sententia; sed refutatio